

Rector Universitatis Rostochiensis, Henricus Rhane, I.U.D. & Profess. P. Ad Exequias Quas ... Dn. Johanni Albino, Vidus parat moestissima, Cives ... in edem D. Nicolai vocat : [P.P. XXIII. Maii Anno Chr. CI I CXXXIIX.]

Rostochi[i]: Kilius, 1638

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn745849601>


Druck Freier  Zugang





Rhane, H.,

in J. Albinum.

R. 1638,







RECTOR
Universitatis Rostochiensis,
HENRICVS RHANE,

J. U. D. & Profefs. P.

AD EXEQUIAS

Quas

Marito suo desideratissimo


VIRO

Doctissimo & Spectatissimo, Dn.

JOHANNI ALBINO,

Vidua parat moestissima,

*Cives suos ad dimidiatam primam hujus diei in
adem D. Nicolai vocat.*



ROSTOCHI,

Typis NICOLAI KILII, Academ. Typogr.

APRO M. DC XXXIII.

RECTOR
HENRICH'S RHANE
J. U. D. & P.
NO. 100
M. 100
JOHANN





Quod in eximiis quibusq; rebus, quarum etiam admiratio primum est, venire usus solet, ut, si quotidiana sint, proteri atq; se vilescere incipiant, idem super vita pariter ac morte dicendum est. Quarum neutram vix intelligimus nedum ut rectè, & veluti par est ex sese estimemus. Idq; eo magis, quia & vivimus quotidie & morimur. Quanquam nec mori nec vivere videantur, qui moriendi artem non tenent. Et, si tanti esse vita nostra, tanti mors nostra à nobis censeretur ipsis, minime omnium frustra tot exempla forent. Quibus edendis nullus dies vacuus aut infrequens est. Indictiva enim hæc funera, ut de tacitis non loquar, excipiunt se continenter per quemq; meridiem, neq; tantum è turribus remugiunt, sed etiam ex hac tabula loquuntur. Atq; utinam, Cives Academici, ad quemq; novum luctum, eandem novã afferretis mentem, ut eo presentior vobis conditio vestra, minusq; ex oculis esset. Quod à vobis sperare eo rectius debemus, quia nemo vestrum sit, qui philosophiæ operam aliquando non dederit, cuius maxima pars est, nosse suam mortalitatis conditionem. Et potestis vos si unquam aliàs,

in presenti funere diligentissime ipsos, etiam si per nos nihil eorum fieret, comonefacere. Cujus enim causa scribimus, JOHANNES ALBINUS, Civis quorundam vester, omnium, ut dicimus, Facultatum studiosus fuit. Non tam curiositate aliqua aut incogitantia, quam quod experiri vellet, quibus studiis aptus esset. Quod cum pauci secum recogitent, inde tot decoctores literarum sunt. Noster vero cum in omnibus primum tirocinia sua exegerit, in juris scientia tandem acquirit. Sed ut ab ovo, sicuti in proverbio est, inchoemus, quacunq; nobiscum de eo communicata sunt, eorum vos quoq; integra serie participes faciemus.

Natus est autem dictus piè defunctus JOHANNES ALBINUS in hac urbe, honestis ac piis parentibus, circa annum Christi 1581. ante annos quinquaginta septem. Pater ejus fuit Vir honestus ac pius ELIAS Witte/ Civis hujus urbis non infimus; Mater MARGARETA PORDOIS. Qui ipsum natum in peccatis Lavacro regenerationis curarunt renasci, & postea in disciplina ac pietate educarunt ejus infantiam, Pueritiæ ac adolescentiæ præfecerunt diligentes præceptores, qui ipsum in literis, artibus ac bonis moribus informarent; adultiorem factum hinc ablegarunt in scholas alias; primo Gustrovium, deinde etiam Wislariam, ubi aliorum informationi fuit præfectus; tandem Juvenis, factus fuit Academi-
cus

cus, primo Gryphiswaldij, ubi Consanguineum,
habuit Clarissimum ac Doctissimum virum D. JO-
HANNEM STURMIUM, ejus domesticus fuit factus &
in Philosophicis ac medica arte fundamenta jecit
non contemnenda, quamvis postea animum mu-
tarit & se ad studium S. S. Theologiae contulerit,
idq; magno fervore animi ac amore aggressus, ita,
ut non multo tempore post specimina in illa eru-
ditionis dederit, etiam aliquoties concionando
se exercuerit. Sed quia vox fuit nimium exilis, nec
dona docendi essent singularia, ne laterem lavaret,
animum ad studium Juris appulit; quantos autem pro-
gressus in illo fecerit, ipsius praxis postea edocuit;
quam in Notariatu suo multis probavit. Inte-
rim etiam in Musicis se exercuit, ac quam bene ex-
celluit, unde in oppidi Tribbesecensis Ecclesia Can-
tor constitutus illi officio per aliquot annos cum
laude praefuit. Anno 1614. in aula Pomeraniae Wol-
gastensi Notarius publicus creatus & sub sequenti
anno 1615. in Principum Megapolensium Judicio
provinciali Notarius publicus immatriculatus
ad hunc usq; diem illi officio cum multorum com-
modo praefuit. Tandem etiam hic in Patria Ca-
merae Secretarius constitutus summa fidelitate
maximo labore, & multis vigiliis spartam hanc
suam ornavit. Anno 1626. aetatis suae 41. coniu-


E 3

gium

gium inijt cum honestissima foemina ANNA STE-
NIS Viri integerrimi Hans Steins / Civis hujus
Urbis primarij p. m. filia, M. JOHANNIS STENII, Pastro-
ris Ecclesiæ Nicolaitanæ Sorore ac JOACHIMI Schul-
ßen / Civis hujus urbis honorati relicta Vidua, Vi-
xitq; cū ea, dum vixit, placide ac suaviter per duo-
decim annos, sed *ἀπαύς* & sine prole. Interim pie-
tate ac dilectione in Deum singularis, quam exer-
cuit tum diligenti auditu verbi divini ac sacra-
menti sacræ synaxeos usu crebriori, tum quoq; di-
lectione in proximum, cui pro virili inservire in
suo officio studebat, tandem etiam sufferendo hu-
jus temporis miserissimi incommoda animo, quo
par erat, forti ac patienti, Deo interim vias suas cō-
mendans, & spem suam in ipsum fixam retinens,
Ante tres septimanas circiter morbum incidit gra-
vissimum, ubi de vita desperans, primo animæ cu-
ram gessit, ac Confessione suo Confessionario edi-
ta, à peccatis absolutus, fidem suam usu sacræ syna-
xeos cōfirmavit, & postmodum Medico accersito,
se totum illius curæ commisit, quamvis frustra, cū
non in medico semper releveretur ut æger, & plus va-
leat medica sic sine arte malū. Viribus itaq; à vehe-
mentia morbi profligatis omnibus, tandē in Domi-
no placidè obdormivit præterlapsa die Dominica
Trinitatis sub octavā vespertinam Anno ætatis 57.

Hæc

Hæc sunt, quæ de eo accepimus, quiaq; ut vos sciretis,
Academia Civis, propter literarum studia visum
est. Sicuti autem omnium nostra vivendi ratio per
ista sacra communis est, ita neminem ab officiis, his
præcipue funebribus immunem permittere potest. Et
quidem Facultatum omnium ALBINUS noster,
per easdem orare vos atq; obtestari videtur. In
quibus ad exemplum moremq; jam vestrum, tirocinia
tum singula non male demonstraverat. Ista autem
aut oblivisci vos aut contemnere fas non est, absq;
quibus nihil unquam literati, extitit. Et si grata pue-
ritia, cur non juvenutis, quæ melior jam vita pars
est, eorumq; studiorum recordatio sit? Quo pacto o-
mnes mihi ad has exequias invitari per vos ac sponte
apparere videntur. De iis enim qui jura & legum
scientiam colunt, ipsa illa æquitas non dubitare permit-
tit. Facite, quod vestrum est, in hoc funere, ut faciant
alii vobis, quod suum est. P. P. xxiii. Maij
Anno Chr. cld id cxxxix.





Hæc sunt, quæ de eo accepimus, quiaq; in
Academia Cives, propter literarum st
est. Sicuti autem omnium nostra vrb
ista sacra communis est, ita neminem ab
præcipue funebribus immunem permitte
quidem Facultatum omnium ALBI
per easdem orare vos atq; obtestari via
quibus ad exemplum moremq; jam vest
tum singula non male demonstra verat.
aut obloisci vos aut contemnere fas no
quibus nihil unquam literati, extitit. Et
ritia, cur non iuventutis, quæ melior f
est, eorumq; studiorum recordatio sit?
mnes mihi ad has exequias invitari per
apparere videmini. De iis enim qui iu
scientiam colunt, ipsa illa æquitas non du
bet. Facite, quod vestrum est, in hoc fune
alij vobis, quod suum est. P. P. XXI
Anno Chr. c. d. i. c. xxxii

